



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CLXXXV. Confirmatio Brevis Benedicti XIII. super declaratione, quod
Institutum Congregationis Portugalliæ Monachorum Ordinis S. Hieronymi
sit Monachale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

menti doppio il fine del Territorio del Castello della Rocca dalla parte di Provenza spettante alla detta Comunità, fino al Territorio di Comont in conformità della detta concessione. Noi ordiniamo in oltre, che il giudizio arbitrale delli 2. Giugno 1733. sarà eseguito in tutti li suoi capi secondo la sua forma, e tenore, e ciò mediante concedendo alla detta Comunità atto di desistenza, o ricesso dalla deliberazione delli 8. Decemb. 1733. colla quale era deliberato il formare opposizione alla derivazione riservata al Signor Marchese d'Oppede dal giudicato arbitrale, inibiamo, e proibiamo tanto alla detta Comunità, quanto al detto Signor Marchese d'Oppede, ed ad ogni altro a chi apparerà, di turbarsi rispettivamente, e darsi impedimento nelle derivazioni, delle quali si tratta, circa li altri diritti, che sono stati loro riservati dal detto giudicato arbitrale, e sopra tutti li altri fini, e conclusioni delle parti le habbiamo rispettivamente poste fuori d'istanza e di lite; ordiniamo, che la detta concessione del Conte Raimondo del mese di Maggio 1171. e le concessioni fatte dalli Vescovi di Cavaglione nel 1235., 1327., 1352., e 1547. Saranno registrate nel processo, e che il nostro presente giudicato sarà riferito al nostro Santo Padre il Papa, ed a Sua Maestà Christianissima per essere confermato. A. Cavaglione li 29. Maggio 1736.

SOTTOSCRITTI

De Luzi Commissario.
D. Arbaud Jonques Comissario.
P. Scutellari Commissario.
Ripert Commissario.
Pintat Segretario di Stato, ed Archivista.
Regibaud Notaro.

Confirmata
a Pontifice.

§. 3. Quare nos præmissa subsistere, exacteque observari cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine Sententiam præinfertam cum omnibus, & singulis in ea decretis, ac contentis harum serie approbamus, ac ratam, & gratam habemus, illique Apostolicæ firmitatis vim, robur, & efficaciam adjungimus.

Quis in
perpetuum
judicari ju-
bet.

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas perpetuo firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogaturque
contrariis
quibuscum-
que.

§. 5. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quatenus opus sit quibuscvis etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, usibus, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 27.
Junii 1736.
An. VI.

Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 27. Junii 1736. Pont. nostri Anno VI.

Indulgentiæ pro recitantes sub horam noctis ad pulsam Campanæ Psalmum *De profundis*, vel semel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem æternam* &c.

CLEMENS PP. XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cælestes Ecclesiæ thesauros, quorum dispensationem nobis commisit Deus, ad Christiani-
fidelium pietatem fovendam, augendam, & animarum salutem promovendam libenter erogamus.

CLXXXIV.

Procemium.

Indulgentiæ
de quibus in
rubrica.

§. 1. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis, qui sub horam noctis ad pulsam Campanæ Psalmum *De profundis*, vel semel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam cum versiculo *Requiem æternam* &c. in suffragium animarum Christiani-
fidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint, quo die egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis penitentis in forma Ecclesiæ consueta relaxamus.

Indulgentiæ
pleniores.

§. 2. Insuper eisdem Christianis vere penitentibus, & confessis, & Sacra Communionem receptis, qui per annum præmissa peregerint, ac pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cujuslibet anni dumtaxat per unumquemque Christianum ad sui libitum eligendo lucrificandam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituri.

Transumptis
adhibenda
fides.

§. 3. Volumus autem ut earundem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIV. Augusti MDCCXXXVI. Pontificatus nostri Anno Septimo.
F. Card. Oliverius.

Dat. die 14.
Augusti 1736.
Ann. VII.

Confirmatio Brevis Benedicti XIII. super declaratione quod Institutum Congregationis Portugalliæ Monachorum Ordinis S. Hieronymi sit Monachale.

CLXXXV.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Hyacinthus a S. Michaelis Abbas Generalis Congregationis Portugalliæ Monachorum Ordinis S. Hieronymi, quod cum status, seu Institutum Monasticum dictæ Congregationis a nonnullis in dubium revocaretur, sæ. re. Benedictus Papa XIII. Prædecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis die 28. Junii 1725. expeditas literas auctoritate Apostolica edixit, ac declaravit præfatam Congregationem Portugalliæ ad Monasticum ordinem seu Institutum pertinere illiusque Religiosos inter Monachos vere, & proprie recensendos esse, volens proinde, ac mandans, ut qui ordini præfato nomen dedissent illumque

Congrega-
tionem ad
Benedictus
XIII. hanc
Ordinem
Monacha-
lem spectare
declaravit.

expresse

expresse professi fuissent, pro veris Monachis haberentur, cunctasque de Monachali ejusdem Congregationis Portugallia, illiusque Alumnorum appellatione, ac Instituto controversias, si quæ excitatæ essent amputavit, & removit, districte præcipiens, ne quis impofterum super hac re illis negotium faceretur, aut litem intenderet, ac alias prout in supradictis Benedicti Prædecessoris literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, & de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Hujusmodi declaratio confirmatur a Clemente.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio sub-jungebat, ipse Hyacinthus Abbas Generalis præmissa, quo firmius subsistant ac servantur exactius Apostolicæ Confirmationis nostræ præsidio communi sumopere desideret, Nos specialem eidem Hyacintho Abbati Generali gratiam facere volentes, eumque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, præfatas Benedicti Prædecessoris literas omnibus, & singulis in eis contentis dicta auctoritate harum serie confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus.

§. 3. Decernentes easdem Benedicti Prædecessoris, ac præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quando-cumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedisque Apostolicæ Nuncios judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien. non obstantibus quibuscumque.

Dat. die 10. Nov. 1736. An. VII.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 10. Novembris 1736. Pont. nostri Anno VII.

F. Card. Oliverius.

CLXXXVI. Statutum circa appellationes, & Recursus Religiosorum Congregationis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

Præpositi Generalis supplicatio.

§. 1. **C**um sicut dilectus filius Joannes Felix a Præsentatione Præpositus generalis Congregationis Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupat. nobis nuper exponi fecit, per plures nostras in simili forma Brevis literas ad factam testam tuendam Regularis observantiæ disciplinam, debitamque subditorum erga suos Superiores obedientiam & subjectionem, in diversis Ordinibus, ac Congregationibus Regularibus modum imposuerimus appellationibus, & recursibus Religiosorum adversus gravamina, quæ sibi a suis Prælatibus illata esse passim assererebant; Ipse Joannes Felix Præpositus Generalis idipsum quoque in prædicta Congregatione Clericorum Regularium ad tollendum abutium frequentium appellationum, & recursuum, extra eandem Congregationem, qui in eam sensim invehitur, & longius nisi maturæ occurrat,

tur, progredi posset, præscribi, atque exacte custodiri sumopere desideret.

§. 2. Nos prædicti Joannis Felicis Præpositi generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & Interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate Apostolica harum serie statuimus, & ordinamus, quod nullus dictæ Congregationis Clericus Regularis, aliave persona cujusvis gradus, dignitatis, & conditionis existat, in casibus, in quibus de Jure, vel juxta Congregationis præfate Constitutiones a Sede Apostolica confirmatas appellare, aut recurrere, licet id aliter facere valeat, quam gradatim, nempe a Rectore Collegii, seu Domus utpote immediato Superiore ad Præpositum Provinciale, & deinde ad ipsum Præpositum Generalem ejusdem Congregationis, itaut causæ appellationis, seu recursus hujusmodi antequam a dicto Præposito Generali cognita & diffinita fuerint, extra eandem Congregationem deferri, & agitari nequeant.

§. 3. Ac propterea omnibus, & singulis Romanæ Curie Tribunalibus, ac Judicibus, & quibuscumque etiam S. R. E. Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apostolicæ Nuncius nunc, & pro tempore existentibus, ne Clericorum Regularium, ac personarum Congregationis præfate, appellationes, aut recursus admittant, causasque præfatas agnoscant, nisi prius legitime sibi constiterit illas per eundem Præpositum Generalem prius cognititas, & definitas fuisse sub pœna nullitatis actorum, ac inde secutorum, & quoad Religiosos appellantes, vel recurrentes, qui præmissis contravenerint sub gravibus nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis pœnis dicta auctoritate tenore præsentium prohibemus.

§. 4. Decernentes ipsas præfatas literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Congregationis hujusmodi, aliisque quibuscumque etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanfuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Modus recursuum declaratur.

Secus agi vetatur.

Præfati Constitutioni perpetua firmitas adjicitur.

Obstantium derogatio.

Transumptorum fides.

Datum